


47234

3







Handschrift

*F 12*

im Besitz

*der Stadtbibliothek*

*zu Elbing*

ist nach den Grundsätzen der Königl. Preussischen  
Akademie der Wissenschaften zu Berlin


von Herrn

*Dr. M. Löwenherz*


im *August* 19*12* aufgenommen worden.














Descriptio operum publicorum jecti dictionis  
n. "Sergius Ulysses Schobert compositor i dictione  
Kulturny Forumia." Krievs- Novos- W-ve.  
1960 n. 241-258.








Handwritten text, possibly a name or title, in a cursive script.

Handwritten text, possibly a date or a short sentence, in a cursive script.

Handwritten text, possibly a signature or a name, in a cursive script.







CHRISTO DVCE ET  
AVSPICE.




Descriptio Bibliothecae, scho-  
lae Toruniensis.

ANNO DOMINI

1594.



Zb. Sp.



RS 144

411

47234

RKps

2354

~~23~~



2

AMPLISSIMIS ATQ;

Prudentissimis viris. (oss: &  
senatoribus Regiæ ciuitatis (libinæ  
gensis, Dominis ac fautoribus  
plurimum colendis. S. D.

Inter omnia Reipublicæ benè instituta  
κεφάλια, viri amplissimi, nullum est,  
si rationem ad veritatis normam reuoca:  
re libeat: quod cum scholis & bibliote:  
cis comparari mereatur. Ideo omnibus  
temporibus principes sapientes, non tantum  
Christiani, sed etiam Ethnici operam dedē:  
re: ut scholæ recti constituerentur, & biblio:  
thecæ tanquam officina literarum, et cū:  
stodes immortalium ingeniorum adderentur.  
Existimabant enim, uel potius norant, Rem:  
publicam sine literis, & literarum officinis  
librarijs saluam esse non posse. Hinc adeo  
non facile reperitur monasterium, cui magni:  
fica ueterum munificentia Bibliothecam nō adiunxerit.

Hoc expendens



Hoc expendens uir amplissimus, dn. H. Strobādus  
Magistratus noster, cum de schola optimis le-  
gis temperanda, tum de Bibliotheca adornanda  
consilium minimè ustuperandum inijt. De Schola  
& Musæis, uel auditorijs non est iam dicendi locus.  
Bibliothecam autem quo ingenio construxerit, qua  
methodo disposuerit, planum faciet hic libellus.  
Et quoniam uos etiam, uiri amplissimi, de Biblio-  
theca deliberationem instituitis, huius nostræ quasi  
exsorptionem quandam, ab autore subsequens ho-  
ris concinnatam, uobis mittere uisum fuit. Hoc  
qualecunq; munusculum, ut in optimam partem ac-  
cipere, & literas, remq; scholasticam solita huma-  
nitate beneuolentiæq; complecti dignemini, maiore  
in modum rogamus. Torunij Borussiae.

VI Junij Anno 1595.

SCHOLA TO-  
RUNENSIS.



Scholæ

Thorumiensi,  
Incrementum, Sapientiam, gratiam,  
à Deo & hominibus  
precatur

Henricus Stroband.

Ethnici & alii nonnulli, vel in fortunæ vel  
in corporis, vel, qui minus à luce naturæ degenera-  
runt, in bonis animi, felicitatem sitam esse cen-  
suerunt. Christiani in summo bono, h. e.  
in Deo, summum bonum constituunt. hos secu-  
tus ego felices appellare non dubito, quibus be-  
nè nasci, benè vivere, benè mori contigit.  
Is vero benè Natus dici potest; qui honesta domo  
ortus, qui ad societatem Ecclesiæ vocatus, qui  
liberaliter educatus est. Deinde ille benè  
beatèq; Vivere potest; qui virtute & literis orna-  
tus, qui justam occasionem jurandi Remp. na-  
tus, qui vitæ necessaria fidosq; amicos adeptus  
est. Deniq; is benè Mori potest;  
qui patriam salvam & florentem videt, qui in ho-



novando suo senio liberos honestè & rectè institutos  
spem penitus suæ post se relinquit, qui in spe & fide  
Servationis sui unici ad finem usq; conquiescit & perse-  
verat.

Beatus & verè beatus, quem sacro,  
sancta Trinitas ter tinnis istis maximis beneficiis  
decorabit & affectis. is vel in ipsa morte, vitâ  
& famâ aternitatem intuetur, & in Deo vitam vivit  
sempiternam.

Et si autem  
non omnibus ex æquo hæc omnia largitur res o-  
mnium summus arbiter & moderator Deus: ta-  
men est, quod æterno Patri luminâ gratias agam:  
quod primùm me hominem nasci, & quidem hoc ani-  
mo hac educatione nasci, dignatus sit; ut inde  
usq; ab ultima adolescentiâ & ipsi & Reip. me  
meaq; omnia addixem: deinde quod in patria  
mea eo me loco esse voluerit; ut ad verum Dei  
cultum & salutem publicam ab Eo veluti invitari  
& manu duci viderem.

Agnosco hoc esse sin-  
gulare Dei beneficium; imò munimentum, quo  
ego me adversus calumnias & invidiam tuen & consola-  
ri soleo. Non enim profectò contemnenda con-



4

solatio est, iudicium bonae conscientiae: quando  
ea quae agitantur animo & tractantur, ex officio fecisse  
iudicamur.

Contra vero qui curio-  
se falxem mittunt in alienam messem: eos tre-  
pidare in rebus adversis, & animis angere, & in mul-  
torum reprehensionem incurrere necesse est.

Qui ergo ex officio facit, quod naturae quaedam  
inductione impulsioneque libenter & jucunde facit:  
is contra calumnias, & Dei & suae conscientiae & bo-  
norum iudicio pulchre munitus est: & cum à Deo  
regatur ac in viis suis ambulet, ideo vel in medi-  
is insidiis vel in mediis hominum faucibus, & felix  
& ubique tutus est.

Hac consolatione erectus, & Deo & Patriae meae,  
& me ipsum & curas meas consecravi. & quia scho-  
las animalium esse officinas salutis publicae: pro  
officio mihi divinitus & à Magistratu injuncto; se-  
piissime vobiscum, Amici, de Literata Institutio-  
ne sermones contuli. Ac ut re ipsa stu-  
dium meum erga studia Juventutis patefacerem;  
curavi Clarissimorum ea de re ingeniorum consilia



& scripta tribus Tomis comprehendere, & meis sumptibus  
edi: certa spe fretus, Methodum discendi & docendi  
commodiorem inde peti posse. Dabo etiam  
operam, ut Quartus aliquando, si Deo visum fuerit,  
in lucem veniat: in quo demonstrandum est, quo pa-  
cto juventus expedite in X classibus expedite, tohi-  
dem annis ad Academica Studia preparari; item  
quemadmodum in Academia, quing. annorum interval-  
lo, in singulis professionibus, per totidem Ordines, or-  
dine progressa; optatam Studiorum metam, Deo bene-  
facente, attingere; & anno aetatis XXI, vel circa,  
ter, ad usum Reip. utiliter possit adhiberi.

Feliciores enim est eius opera, & expeditior & utilior & di-  
uturnior: qui, in quo vitae genere Deo & patria' prodes-  
se decreverit, ad illud mature accessit seseq. comparavit.

Fructus autem uberes & salutarer, non modo  
Doctores sed etiam Juventutem, ex hoc Tomo  
Quarto capere posse nequaquam dubito. meo enim  
exemplo & damno didici: quantum esset in Ordi-  
ne boni, in Confusione mali. Nam quo pri-



muum tempore ex Schola Triviali in Academiam  
 me receperam, Clarissimo cuidam IC<sup>to</sup>, qui tum in  
 Feudis difficilima & intricatissima juris parte versa-  
 batur; ductum secutus amicos mecum ex aequo ceru-  
 tientium, magno errore operam dabam: Institu-  
 tionibus & principiis LL. nondum cognitis.  
 in ceteris etiam Studiis ita errabam: ut ignarus  
 melioris methodi, per longos anfractus & circuitus;  
 non sine sudore & difficultate, imò propemodum de suc-  
 cessu omni desperans, ad metam quam non vide-  
 bam temerè contenderem. Nec verò mi-  
 hi tantum hoc accidit: sed aliis, quos novi, permul-  
 tis. nec dubium est, hodie quoque idem accidere  
 Studiosis adolescentibus. Existimo autem  
 culpam hujus erroris non minimam sustinere praece-  
 ptores, qui juventutem per multas ambages circum-  
 ducunt & seducunt, nec viam nec metam ostendunt  
 studiosis. ita dum isti consuetudini prave parent  
 & ignaviae indulgent: misera & temeraria adolescen-  
 tia, cum fraude sua parentum & Reip., indignis  
 modis circumvenitur.



Cum igitur nautæ nautas admonerent quâ navis  
dirigenda sit, ut ne in scopulos aut syrtis impingat:  
certè nostrarum et partium est, qui miserandum in  
Studiis naufragium jam olim fecimus: Studiosos ad-  
olescentes, ut ab eo sibi caveant, præmonere: & vi-  
am signare breviorē & compendiosiorē, ex Star-  
mii & aliorum sumorum virorum ingenius. Et a-  
verò cuiusmodi esse debeat, cum ex reliquis tribus  
Tomis, tum ex Quarto, volente Deo, cognosci poterit.  
in quo præter Classium & Ordinū Academicorum ratio-  
nem, etiam de Ephemèridibus & Locis-Communibus  
præcepta dabuntur. Non enim estis nesci, o-  
mnem Studiorum vim in cognitione & commentatio-  
ne positam esse. quid autem prodest Cognitio  
sine Commentatione? quid Commentatio sine cog-  
nitione? Utramque igitur in Classibus pariter  
& Academia conjungantur juventur: magnū pro-  
fecto operæ precium factura, si bene monentibus  
obtemperabit, & Tomos istos diligenti lectione e-  
voluet.



6

Videmus nostros istos Assassinos & Jesuitas, quemad-  
modum sese jactent, quam nemo sit ipsis in institu-  
tione felicior & dexterior: at isti, nisi Sturmia-  
nâ vitulâ carissent, methodum quam observant vix  
ac ne vix quidem repensissent. Cum ergo hostes ve-  
ritatis id genus libris de institutione literata, ad  
regnum Sophisticis stabilendum, non infeliciter nec  
sine successu male suae causae, haec usi sint: tur-  
pe profecto fuerit nos iisdem non uti ad usum & de-  
fensionem veritatis & institutionis accuratioris.

Sed quid ceteris fiat, fortasse non tam laborandum  
est, quam quid domi geratur videndum, ut in  
nostris Scholis juventus ritè informetur.

Vos igitur his Tomis ita fruamini: ut & feliciter cre-  
ditum vobis Patriae florem in sinu Musarum educentes,  
& de domestico seu scholastico nostrae Tomo adornan-  
do cogitationem suscipiatis. qua in re non tantum  
huic Civitati, sed aliis quoque quibus visum erit alie-  
no labore uti, bonam & salutarem operam navabitis.



In me profecto nulla mora futura est: qui ut nulla  
ex re, ratione mei officii, majorem dolorem quam  
ex vitiosa institutione capio: sic e' contrario nulla  
ex re uberiores aufero voluptatem, vel natura  
mea ducit, quam ex vera solida & compendiosa in-  
stitutionis ratione. Certus enim sum, ut illic  
exilium; ita hic salutem ornamentum & incre-  
mentum Reip. consistere. Et quia Scho-  
larum, cujus me Rex Maximus Deus aliquam par-  
tem esse voluit, officium esse statui; omnibus ex  
partibus, literis bene consultum velle: & boni ci-  
vis, Patriam ornare: & viri boni, omnibus prodesse:  
Cogitari etiam à multis annis de Construenda  
Bibliotheca, tanquam instrumento hujus lite-  
rarum officinae præstantissimo. que quidem  
ante paucos menses, celeris spe mea, nova qua-  
dam ratione & methodo exstructa est: Deo ipso  
Successum dante & incrementum, cui sit gloria



7

& gratia: sub cuius umbra & patrocinio, malevolorum convicia calumnias sannas multiplices contemsi: quod mihi certo consig' essem, Deo meo tā placere conato meos, ad ipsius gloriam & Patria salutem directos; quam istis displicuerunt. Per suasi enim mihi, non esse boni & cordati viri, malis malorum sermonibus ab officio deduci. ac proinde, ut ille non posuit rumorem ante salutem: sic neq; ego committere debui, ut plus aliore sanne, quam patrie utilitas & Dei favor apud me valere viderentur. Sani oculi est, omnia videre quae videri possunt; non tantum vindia. Et ut limpidissimi fontes, et si fumo & aliis sordibus contaminantur; nihilominus illis elohis & rejectis puram aquam profundunt. Sic certum est, qui Deo & Patria servire constitutum habent: eos omnibus bene benigneq; facere, rumusculos manes spernere, & spe divini patrocinii ac protectionis, quicquid ferendum est, forti animo perferre ac pati. bo.



na conscientia in Deum respiciens & à Deo pen-  
dens, non curat improborum obrectationes.

Vobis itaqz, Amici mei, Scholagz patriæ, Bi-  
bliothecam hanc brevi tempore exstructam, & uno  
atqz altero die, quantum per publicas occupationes  
calamitosi temporis licuit, sine omni verborum orna-  
tu à me descriptam, do trado dico & comendo.

Quod si Altissimus gratiam & vitam porro concesserit,  
nec à gravioribus negociis, quibus quotidie, quod pro-  
bè novistis, distrahor, impedito fuero: faciam, ut  
Eadem paulò elegantiori & copiosiori exornata ap-  
paratu, vos aliosqz à me aliquando salutet.

Vos interim videte, ut tenellam hanc, non tamen, citra  
invidiam, indecoram adolescentulam ornetis au-  
geatis commendetis; & vestra comendatione  
fide, studio, diligentia, & exorata aliorum



munificentia, in dies ornatorem & pleniorum effi-  
ciatis. Valate. Calendis Januarii: An.

no 1595.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



# CAPUT

## I.

### DE STRUCTURA AEDIFICII Bibliothecæ?

Totum aedificium longitudine sua est 60 pedū,  
latitudine  $18\frac{1}{2}$ , muro undiquaq<sub>3</sub> munitum, sive  
ex lapide cocto structum.

Totum aedificium tria tabulata habet:

Infimum, destinatum classicae institutioni puerorū:  
hoc infens tabulatum fornice latericea tectum est,  
fenestras habet ad meridiem & Septentrionem:  
pedum 48 longum. reliquum enim longitu-  
dinis spatium, aedibus Gymnasii interior occupat.

Supremum tabulatum sub tecto est imbricato;  
remotum à publico usu, ne forte per frequentes ob-  
ambulationes & motus, pulvis e pavimento decidat:  
tectum tegulis & calce bene munitum. pa-  
vimentum ex argilla, altitudine Spithamæ unig





complanatum, propter incendiū (quod Deus aver-  
tat) peniculū arcendum. fenestra

ad ortum una: aditus vero ab occasu. utraq;  
ferreis laminis, ob idem peniculū, clausa.

Tertium seu medium tabulatum idq; pra-  
cipuum, est Bibliothecae destinatum: univer-  
sum spatium, de quo supra, occupans. cuius  
longitudo est 60 pedum, latitudo  $18\frac{1}{2}$ , al-  
titudo  $15\frac{1}{2}$  pedum. aditus ab occasu

ex superioris Gymnasii habitaculis patet, dupli-  
ci janua munitus; altera ferrea exteriore, alte-  
ra quercia interiori. Ex adver-

so versus ortum fenestra est alta, sex tabu-  
lis constans, in loco superiori & digniori: Se-  
ptentrionem spectant sex; Meridie fe-  
nestrae quinq;: singulae quaternis tabulis:  
altiores paulò sunt, quae à Meridie, ne altitu-



do vicini templi umbrā suā luci obsit. illa  
 quae ad Septentrionē diriguntur, paulò breviores:  
 partim quod ob patentem aream satis sit lucis;  
 partim ut supra fenestras appendendis tabulis  
 Cosmographicis locus sit; partim ne ab Aquilone  
 fenestrazo altitudo concussa Bibliotheca sit damosa.

Parimentum seu solum asperibus stratum. com-  
 modius enim est latenceo: quia illud non tam facile  
 pulverem alit quàm hoc.

Superior contignatio asperibus complanata est,  
 qui incumbentes distinctis trabibus sic invicem  
 sunt juncti, ne ab eis pulvis de strato parimen-  
 to possit decidere. Contignatio illa, pi-  
 cturā satis jucunda est exornata: cujus umbi-  
 licus Codex pictus.

CAPUT



CAPUT

II<sup>o</sup> Idum

DE INTERIORI CORPORE  
BIBLIOTHECÆ,

h. e. de Receptaculis, Forulis seu interval-  
lis, Scriniis &c. & Supellechite  
ad eadem pertinente.

Dictum de Structura aedificii externa: se-  
quitur de interioribus Bibliothecæ Receptaculis  
Forulis & Scriniis.

In primo itaq; ingresso, Receptaculum librorum  
seu Repositorium ad janua' parietem tripartitum e.  
Unum supra januam primæ classi destinatum,  
quatuor intervallis distinctum, quorum latitu-  
do  $4\frac{1}{2}$  ped., profunditas 1. ped.

Primum (ab infimo semper incipiendo)  $1\frac{1}{2}$  ped.  
altum.

Alterum 1. ped.

Tertium  $\frac{3}{4}$  ped.

Quartum  $\frac{3}{4}$  ped.



Ubi ingressus fueris, ad dextram alterum rece-  
ptaculū apparet, secunda classis, 12 interval-  
lis distinctum: quorū singulorū latitudo  $4\frac{1}{2}$  ped.  
profunditas  $1\frac{1}{2}$  ped.

I	hujus intervallum	$1\frac{3}{4}$ ped.	altum
II	- - - - -	$1\frac{3}{4}$ ped.	
III	}	- - - - - = 1 ped	
IV			
V			
VI	}		
VII			
VIII	}	- - - - - = $\frac{3}{4}$ ped.	
IX			
X			
XI			
XII			

A sinistris in ipso ingressu Tertium constitu-  
itur receptaculum, tertiae classis, itidem in duo-  
decim intervalla distributum: quorum singulorū  
latitudo  $6\frac{1}{2}$  ped.

I	hujus intervallum	}	omnia eandem alti- tudinem habent cum illa, que in 2da clas- se est.
II			
III			
IV			
V			
VI			
VII			
VIII			
IX			
X			
XI			
XII			



Ubi jam ulterius progressus fueris, Quinq; alia re-  
ceptacula majora constituuntur, per latitudinem to-  
tius aedificii a pariete laevo ad parietem dextrū  
extensa: ita ut singula ab utraq; parte infra bi-  
nas fenestras in intermedio spacio constructa sint:  
primo tamen excepto, quod versus Septentrionē  
ab uno tantum latere fenestra clauditur; ab  
altero vero, versus Meridiem, scinio magno, de  
quo postea.

Singula i-  
sta quatuor receptacula, classes quatuor suo  
ambitu continent: de quibus paulo post:  
ordinibus bipartitis ex adverso positu librorū con-  
structa sunt, ita ut ante & pone libri collocari  
possint.

Medium spacium transitus est,  
ad formam januae 8 ped. altae &  $3\frac{1}{2}$  late,  
ped.  $2\frac{1}{4}$  profundae.

Prædicta quinq; Repositoria sunt ejusdem Al-  
titudinis, 11 ped.; suprema coronā, qua Ver-  
sus continentur, non adjectā. Latitudo intervallorū inferiorū quoad summitatem di-



Ati transitus ē 7 ped. ; exceptis intervallis  
 classis Vta, quorum latitudo tantum  $5\frac{1}{4}$  ped. est,  
 eo quod scinium magnū aliquantū hujus loci occu-  
 paverit: exceptis etiam intervallis nu. 2 &  
 3, in singulis receptaculis, quæ tantum 5 pedum  
 lata sunt, ob scinia quinq; parva ibidem adjecta,  
 de quibus postea.

Supra transitum in singulis receptaculis tria  
 sunt intervalla, q̄ à lævo ad dextrum usq; pane-  
 tem porriguntur: ita tamen ut supra mediam  
 januam lignea norma sint secta; ut dextra ad  
 classem dextram, læva verò ad sinistram spe-  
 dent.

Hæc itaq; quinq; Receptacula viginti classib.  
 intermediis constant: de quibus nūc dicendū.  
 nam de primis tribus classibus paulò ante  
 dixim.

Quarta classis 9 habet forulos seu in-  
 tervalla:

spacium	I	2 ped. altum
	II	$1\frac{1}{2}$ ped.
	III	$1\frac{1}{3}$ p.
	IV	$\frac{7}{8}$ p.



- V . . . . . ut prig
- VI . . . . . ut supra
- VII . . . . . 1. ped.
- VIII . . . . . ut quartum
- IX . . . . .  $\frac{6}{8}$  p.

Quinta classis 9 habet forulos

- I
  - II
  - III
  - IV
  - V
  - VI
  - VII
  - III
  - IX
- } Altitudo convenit cum  
quarta classe:  
Latitudo  $5\frac{1}{4}$  p.

Sexta classis 8. h't intervalla

- I . . . . .  $1\frac{5}{8}$  p. altum
- II . . . . .  $1\frac{1}{2}$  p. altum
- III . . . . .  $1\frac{1}{2}$  p.
- IV . . . . .  $1\frac{1}{2}$  p.
- V } . . . . .  $\frac{7}{8}$  p.
- VI } . . . . .  $\frac{7}{8}$  p.
- VII } . . . . .  $\frac{6}{8}$  p.
- III } . . . . .  $\frac{6}{8}$  p.

Septima classis 9 h't intervalla



I	}	Altitudo convenit cum classe Quinta.
II		
III		
IV		
V		
VI	}	
VII		
VIII		
IX		

Sequentium quatuor Receptaculoꝝ sedecim clas-  
ses, singulae habent 8 intervalla : quor

I . . . .  $1\frac{5}{8}$  p. altum

II - - - }  $1\frac{1}{2}$  p.  
III - - - }  
IV - - - }

V . . .  $\frac{7}{8}$  p.  
VI . . .  $\frac{7}{8}$  p.

VII . .  $\frac{6}{8}$  p.  
VIII . .  $\frac{6}{8}$  p.

Penultimum demum sequitur Receptaculum, ad  
parietem orientalem versus sinistram constitutum,  
& ad trabes usq; vel tigna pertingens : quod vige-  
sime classi tributum est. cuius latitudo  
 $5\frac{1}{2}$  ped. Habet 10 intervalla :



- I . . .  $\frac{1}{4}$  p. altū
- II . . .  $\frac{1}{4}$  p.
- III . . . }
- IV . . . }  $\frac{1}{2}$  p.
- V . . . }
- VI . . . }
- VII . . . } 1. p.
- VIII . . . }
- IX . . . }
- X . . . }  $\frac{3}{4}$  p.

Ultimum receptaculum à dextra ad eundem parietem in loco supremo & digniori collocatum,  $5\frac{1}{2}$  p. latum, & similiter ad ipsam usq; conformationem protensum. In cuius inferiori loco scammum positum, supra quod est spatium vacuū 6 pedū altum: in quo Insignia civitatis Thorumensis depicta sunt. reliqua pars, usq; ad summum sex habet intervalla, libris locandis destinata.

- I . . . }
- II . . . }  $\frac{1}{8}$  ped.
- III . . .  $\frac{7}{8}$  p.
- IV . . . }
- V . . . }  $\frac{6}{8}$  p.
- VI . . . }



Spacia, quae à Receptaculis, intervallo 7 pedum  
 vel circiter distantibus efficiuntur, in tota Bi-  
 bliotheca numerantur sex. Singulis spaciis  
 binæ fenestrae hinc inde lucem præbent: exce-  
 pto primo, ubi versus Septentrionem tantum  
 una fenestra: in ultimo vero & supremo tres  
 fenestrae sunt tribus ex partibus.

De singulari classium dispositione; in-  
 tervalloꝝ munitis, ornamentis, paulo  
 post.

sequitur de Sciniis.

Postquam ingressus fueris Bibliothecam, ad  
 dextram Scinium magnū visitur, tripartitum,  
 viridi colore obductum, & tribus literis A,  
 B, C, notatum.

Primum A, tria intervalla habet: & me-  
 dium ex illis versus parietem, profunditate aliqua  
 to capax est; æservandis videlicet globis Ma-  
 thematicis destinatum.

Alterum B. duo continet intervalla, in quibus



majora & minora Sceleta recondantur.

Tertium C, quingz intervalla habet: quibus  
instrumenta Mathematica & similia aservantur.

Latitudo trium horz Scimiorz 12 ped., Alti-  
tudo 8 p.

Supra hoc Scimiū magnū, locus statuendis tabulis  
Geographicis aptus, q̄ alibi appendi nūq̄ possunt.

In intermediis quingz Receptaculis magnis, singula s̄t  
Scimia parva, intervallorū 2° & 3° inserta; 2 pe-  
des lata, 1 p. profunda: quibus vel libri manu  
scripti, vel canora q̄ non cuiq̄ obvia nec omnibus os-  
tendi solent, custodiuntur; pertinentia ad illam clas-  
sem cum qua sunt conjuncta: utpote

Scimium D	ad classem	VII
E	-----	XI
F	-----	XV
G	-----	XIX
H	-----	XXIII

La preterea Scimium peculiare, quo as-



15

servantur Globi magni, Coelestis & Terrestis,  
Gerhardi Mercatoris.

Receptacula prenommata, in transitu, nec non  
singuli eorum aseres, in fonte colore exornata s̄t.

In singulis prioribus quinq; spaciis, mensa toti-  
dem prope fenestram collocata, 4. pedes longa,  
3. p. lata, viridi colore. in postremo inter-  
vallo Mensa ad habendas rationes, nigra, 7 ped.  
longa, & 3 p. lata. in eodem intervallo,  
loco supremo, mensa viridis 6 ped. longa & 5 p.  
lata; conventibus habendis & colloquiis destinata.

Scamna item eo in loco prope fenestras tres.

In primo & postremo spacio Scala 10 pedes alta:  
in reliquis quatuor, totidem scala, 9 p. alta:  
omnes rubea

Sex sedilia parva ad singulas mensas, singulis  
lectoribus destinata, rubea. Adde hic atra-  
mentaria tria, cum adjuncto apparatu. item  
Scopulas absterpendis pulveribus aptas, unam quam  
q; in quolibet intervallo.



CAPUT

III.

DE CLASSIUM DISPOSITIONE,

& inscriptione seu titulis: nec non de distric-  
tionibus notis seu numeris singulo-  
rum intervalloꝝ.

Dispositio Methodica totius Bibliothecae, pro  
ratione hujus loci, viginti quinque classibus seu ordinibus  
constat. quorum series & tituli duobus in locis in ad-  
spectu collocata sunt: primo in peculiaris tabella,  
loco supremo receptaculi cujusque; deinde ad latera  
cujusque in ipso transitu, in membrana tituli descripti  
& affixi exstant; utriusque suis numeris distincti.

Hoc interim notandum, de quo antea quoque memi-  
nimo: intermedia quinque Repositoria majora sic esse  
facta, ut geminum sui usum, libris ex adversa & a-  
versa parte collocandis, prestare possint. atque ut  
appareat illa esse duplicata; lineam nigram bidigitam  
talis latitudinis in lateribus transitu circumquaque distinguere

una



curavimus. Quin & majoribus nigris numeris  
 ibidem classes ordine notatae sunt, circa latera in  
 transitu. Intervalla singula certis numeris  
 sunt districta; in eum usum, ut numeri illi congru-  
 ant cum indice Methodico. Codex enim quicumque  
 in indice Methodico exstat, praecuribus his numeris  
 facile reperiri potest, uno tantum intervallo requisito.

CLASSIUM AUTEM TITU-  
 li tales sunt :

I. CLASSIS,

Libri

- 1 De Bibliotheca dirigenda
- 2 De Literata Institutione

II CLAS.

- 1 Grammatici
- 2 Lexicographi
- 3 Phraseologi
- 4 Poeta

III

- 1 Dialectici
- 2 Rhetores
- 3 Oratores.



IV

- 1 Philosophi
- 2 Philologi
- 3 Metaphysici.

V

- 1 Mathematici
- 2 Mechamici.

VI

- 1 Physici
- 2 Medici.

VII

Medici

VIII

- 1 Ethici
- 2 Oeconomici.

IX

Politici.

X

- 1 Chronologi
- 2 Historici.

XI

Historici

XII

Historici

XIII

Historici.



XIV

Jureconsulti

XV

Jureconsulti

XVI

Jureconsulti

XVII

Juris Pontificii Interpretes

XVIII

Scholastici, & variae Religionis Theologi

XIX

Scholastici & Pontificii Theologi

XX

Theologi

XXI

Theologi

XXII

Patres

XXIII

Theologi veteres

XXIV

1 Biblia sacra

2 Theologi

XXV

1 Biblia sacra

2 Theologi.



CAPUT

IV

DE DISTICHS

ad singulas classes adscriptis.

Nec reticendum est: in clasium corona, qua singula  
receptacula pictura versicolore exornata sunt, scripta  
esse Disticha Ulrici Schobenii Prorektoris Scholæ  
Thorunensis; cujusq; classis summa argumenta com-  
prehendentia: quorum series talis est.

In primo ingressu, ad scinium majus  
tripartitum.

Hic Tabulas; hic vise Globos; hic Ossea texta:  
Unde Solum; unde Polum; Te quoq; nosse queas.

Class. I.

Utilis hic ratio, qua Bibliotheca struatur,  
Normave formande traditur apta Scholæ

Class. II.

Grammaticos, Sylvas, Onomastica, Lexica, Vates;  
Hic uno spectas omnia juncta loca.



Clas. III

Rhetoras hic inter varios Dialectica sedem ;  
Turbag<sub>3</sub> fulmineo qua tonat ore, tenet.

Clas. IV.

En cum Philosophis conjuncta sedilia servant,  
Qui flores carpunt quoslibet instar apum.

Cl. V

Affines Audiis positi cernunt<sub>3</sub> in uno  
Ecce Mathematici Mechanic<sub>3</sub> loco.

Cl. VI.

En monumenta, quibus magni miracula mundi,  
Naturae<sub>3</sub> patent omniparentis opes.

Cl. VII.

Corporis affecti Medicina professa salutem,  
Hunc inter Medicos regnat adepta locum

Cl. VIII

Huc mihi ferte gradum, quicumq<sub>3</sub> volumina mori  
Quenit<sub>3</sub>, & qua sit mente regenda domo.



Class. 12.

Scire cupis, quonam felix Resp. pacto;

Quoq; sit infelix? Haec lege scripta: scies.

Cl. X.

Hic sunt, annorum seriem connexaq; seclis

Secula, qui numenis explicuere suis: "

Cl. XI

Quig; per historia monumenta perennia, vivis

Humanum exemplis erudiere genus.

Clas. XII.

Si te sive iurat, nato qua gessit ab orbe

Tempus ad hoc, hominum tam numerosa seges: "

Cl. XIII

Si varios casq; si fata reciproca mundi

Totius: hos forulos consule, certus eris.

Cl. XIV

Iusticiam terris negantur abesse poeta;

Atq; polo natam se retulisse polo: "

Cl. XV

Adspice, conspicuos hic inter Junis alumnos,

Servatrix hominum diva videnda venit.



Cl. xvi

Hæc interpretibus sacri subsellia Junis  
Ordine ponendis esse dicata vides.

Cl. xvii.

Cui Canonum volvenda putant commenta sacrorum.  
Hæc desiderium sede levanto suum.

Cl. xix

En hic Lombardi quos penna reliquit alumnos,  
Et libros varie Religionis habes.

Cl. xix

Eclipses hic ægra suas Sapiencia luget.  
Restituat lucem lucis origo Deus.

Cl. xx.

Abdita divini tractant mysteria verbi,  
Quorum docta vides hoc monumenta loco.

Cl. xx1

Hic nova lux veterum; lux hic vety ecce novorum e.  
Conspirat radiis utraq; mista suis.

Cl. xxii

Grata vetus novitas; grata e renovata vetustas.  
Jure novos priscais junximus ergo patres.



Cl. xxiii

Integrior verbi coelestis alumna vetustas,  
Lucis honoratum gaudet habere locum.

Cl. xxiv.

Principe vult statui princeps Sapia sede:

Cl. xxv

Ergo sacer sacris hic locus esto libris.

CAPUT

V.

DE ICONIBUS ET

PICTURIS BIBLIOTHECÆ,

nec non de Tabulis Cosmographicis,

Instrumentis Matrem., Sce.

letis

Cuilibet Classi adjunctæ sunt Imagines & Icones



20

Artium & artificum, quae spectatoribus haud injucundum  
praebent spectaculum: quarum aliquae hic notabuntur.

Class. I.

Tabula Cebetis  
Conradus Gesnerus  
Joannes Sturmius.

Class. II

Grammatica  
Poesis  
Priscianus  
Virgilius  
Homerus.

Class. III.

Dialectica  
Rhetorica  
Rodolphus Agricola  
Cicero.

Class. IV.

Musica	—	Orpheus
Arithmetica	,	Petrus Apianus
Geometria	,	Ptolemaeus
Astronomia	,	Nicol. Copernicus
Architectonica		Vitruvius.



Cl. vi

Natura rerum

Albertus Magnus

Cl. vii

Sanitas

Aesculapius.

Cl. iix

Temperantia

Socrates

Xenophon

Cl. ix

Prudentia

Solon.

Cl. x.

Imago temporis

Abraham Buchholzer

Cl. xi.

Candor seu Parrhesia

Livius

Thucydides

Cl. xii

Veritas

Philippus Comineus



Cl. XIII

Europa

Aphrica

Asia

America

Moyfes.

Cl. XIV

Iusticia

Papimang.

Cl. XV

Aequitas

Julius Cæsar

Cl. XVI

Fortitudo

Stephanus Rex Polonia

Cl. XVII

Insignia Pontificis Romani

Gregorius Magnus P.R.

Cl. XIX 19

Eclipsis Solis

Superstitio

Franciscus

Monachi

Dominicus



18 Cl. xix

Sophistica

Lombardus

Th. de Aquino

Scotus

Bellarmino.

20 Cl. xx

Spes

Hippens.

Cl. xxi

Sol oriens

Fides

Luthens

Philip. Melan.

Cl. xxii

Charitas

Augustinus

Hieronymus

Cl. xxiii

Religio seu pietas

Apostolorum imagines.

Cl. xxiv

Immortalitas



Cl. xxv.

Santa Trinitas tali forma, qualis Voegelianis typis  
præfigi solet.

Præter has imagines sunt alia etiam, eorū qui vel in  
urbe Thorūn. claruerunt, vel erga Bibliothecam munici-  
palem suam testatam fecerunt: quorū Icones parie-  
tibus appensæ non sunt, loco cuiusq; professioni vel voca-  
tioni conveniente.

Imagines præterea  
artificiose æneis formis expressæ, haud exiguo numero.  
Theatrorū, Machinarū, & Structurarū artificiosè pi-  
cturæ.

Tabule Cosmographicae supra scii-  
mum majus collocatæ, nec non hinc inde dispositæ:  
in quibus eminent, quæ sequuntur:

Universalis tabula Petri Plancii, loco digniori sus-  
pensa;

Europa, Asia, Africa, America;

Danielis Callarii Ferrimontani quatuor tabule  
super 4 fenestras locatæ;

Polonia & Prussia tabula aliquot.

Omnes ita suis funiculis suspensæ, ut sine ullo impedimento  
demitti & attolli possint à Spectatore.



Sunt præterea in Scinio Mathematico elegantissima &  
valde artificiosa instrumenta Mathematica: quorum Cata-  
logum hoc loco recensere non est opus. Scie-  
leton præterea omnib. partibus ita perfectum, ut in eo  
nullum vitium appareat; in Comitibus Thorun. fo 76.  
à viris Clariss. Nicolao Buccella Patavino, Rege; &  
Melchione Pyrnasio Thorun., Medicis, more Anatomico  
elaboratum: & à Martino Copernico Chirurgo Torumen-  
si Bibliothecæ consecratum.

CAPUT

VI.

DE SUPELLECTILE LIBROR.

Decopia & præstantia libror. in nostra Bibliotheca  
contentor. nihil dicam. res enim ipsa extolli in-  
fantiam Bibliothecæ vetat. nondum enim à natali  
& ortu suo annicula est. Hoc tantum verè affir-  
mare ausim, si beneficentia & munificentia Patronor.



23  
& viro bono Bibliothecam nostram coepto more  
prosecuta in posterum fuerit: non dubito, quin brevi  
tempore ad maturitatem ventura, cum aliquibus com-  
parari jure possit.

CAPUT

VII.

INDICES BIBLIOTHECAE.

I  
Primus index Bibliothecae NOMICUS dicitur:  
in quo continetur //

- 1 Natalis, ordo seu Methodus, & tota Structura Bi-  
bliothecae.
- 2 Privilegia Bibliothecae.
- 3 Leges Bibliothecae, & officia Bibliothecarii.
- 4 Modus augendi Bibliothecam.
- 5 Censuum & reddituum inventarium.
- 6 Inventarium suppellectilis domesticae.

II

Alter index MUNIFICENTIAE est, in quo no-  
tantur, qui munere & beneficio aliquo Bibliothecam or-



navunt: sunt autem quatuor classibus distincti, ad p[er]tine[n]t

Artis Insignibus ;

}	1	Viri illustres
	2	Civitates & Comunitates
	3	Nobiles familiae
	4	Reliqui benefactores & Patroni.

111

Tertius index METHODICUS est, in quo

1. Vigniti quing[ue] classes suis titulis & numeris distincta s[un]t

2. Deinde singula intervalla classium suis numeris notantur: ita ut singulis forulis seu intervallis duo folia tribuantur: quibus omnes libri eo intervallo contenti annotantur.

3. Hujus indicis paginae omnes mediae sunt sectae: una parte paginae continetur Index librorum, ita scripto ut novi libri recens adjungendi, comode interseri possint: altera parte opposita notatur aliquis liber à compactore alteri junctus, non ad hanc sed aliam classem pertinens; vel ad hanc classem pertinens, verum in alia gento.

4. Adscribitur cuiq[ue] libro, vel nomen donatoris, cum adjuncta pagina, qua donator in Indice Muni-

fican



24  
ficientia notatus est; vel precium emtionis.

5 Præterea hoc in Indice continetur, quicquid in Scinio majori tripartito aservatur. huic rei folia 10 tribuuntur.

6 Hoc in indice continetur, quicquid quinq; Sciniis parvis aservatur: singulis tribuantur duo folia, suis classibus & materiis adiungenda.

7 Hoc indice continetur Catalogus tabularum & Globorum cosmographicorum: folia 10 huic loco tribuuntur.

8 Catalogus picturarum, Iconum; fol. 10.

9 Notandum. quoniam ob molem suam index hic Methodicus non satis aptus sit futuro, poterit quatuor in partes distribui.

Prima contineat 7 priores class.: Secunda 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Tertia, reli-

quas octo classes. Quarta Scinia octo, Tabulas & picturas.

IV

Quartus index ALPHABETICUS est, qualem Simlerus confecit: in quo ad librum quemq; notetur, qua classe & quo spacio in indice Methodico sit inveniendus. Utiles hic index ad investigandū autorem, ubi materia libri ignota, nomē autem autoris notū fuerit.

V

Quintus index Librorum est nondum compactus, cum adjecto cuiusq; libri emtionis precio. ut, si quando is liber

cū alio



cum alio jungatur per compactorem, de certo precio voluminis constare, & in Methodicum indicem commodè annotari postea possit.

VI

Sextus index Veteris Bibliotheca, bipartitus :

Librorum } ex veteri Biblia in novam translatorum  
              } In veteri Bibliotheca retentorum.

VII

Septimus index, librorum aliarumque rerum ex Bibliotheca aliis comodatarum.

VIII

Octavus index rationum annuarum, tam acceptorum quam expensarum.

Et si Bibliothecarii officium in primo indice conscriptum est, qui Nominus dicitur: tamen hoc loco notandum, quod idem tenetur Scholasticus, presentibus Rectore & Senioribus Scholae, singulis annis, die S. Joanni Baptistae sacro, rationes administrationis, ex praescripto legum, in loco ipsius Bibliothecae, reddere. Quae rationes, ubi approbatae fuerint, in hunc ipsum Indicem describenda solum sunt.



De ...  
...

De ...

De ...  
...


...

...



...







NOTAE

AD FORMAM BIBLIOTHECAE  
Illustrationis pertinentes.


Ad CAP. I.

De Structura mediocris Bibliothecae huc actum.

Si quis autem princeps vel Resp. insignem & sumtu,  
usam velit erigere, alia opus est forma.

Inprimis hoc observandum, lucis accessum mini-  
me impeditum, magnopere esse necessarium Bibliothecae.  
itaq; aedificium commodius in longitudinem pro-  
ducitur, quam in latitudinem; propter lucis interiorum  
usum.

Potest etiam extrui in forma crucis //



Verum longiuscula commodiora, propter rariora damna  
pluviana, ventosa; quib. ista obnoxia sunt.



Sit præterea ædificium remotius à multo usu ignis vi-  
cinarum habitatorum, propter incendia & fumos.

Tres sunt distinctæ partes totius ædificii: Suprema,  
Infima, & Media. Suprema sit tectum cum  
contignatione solida & bene crassa, non neglectis etiam  
ceteris, de quibus in nostra Bibliotheca. Imus  
locus testudine latentiâ tectus & cameratus, Bibliopo-  
lio attribuendus est. quod æquè ac Bibliotheca distribui  
potest in sua repositoria & classer, secundum artes & di-  
sciplinas: præterquam, quod medio spacio, qua trans-  
itus est, sufficere arbitremur 4 ped. latitudinem; reli-  
quum spaciū Repositorii relinqui utilig. in ipso ingres-  
su sit vestibulū, à Bibliopolii receptaculis sejunctum,  
ne quilibet sine consensu Bibliopoleæ ad interiora pene-  
trare possit. De instituendo & tractando Bibli-  
opolio, tum de universa re Typographica, alius jam fuit  
agendi locus. Tertia pars, eaq̃  
precipua, medium locum occupet, ipsa nempe Bibli-  
otheca



27

Longitudo itaq; totius Bibliothecæ ædificii in Bibliotheca  
illustri sit pedum 160 : Latitudo pedum 30  
vel circiter: Altitudo mediæ hujus loci, ipsi Biblio-  
thecæ destinati, 18. ped. circiter vel 20. ut ita lo-  
gitudō octupla, latitudo sesquialtera respectu altitudi-  
nis existat.

Aditus sit ab occasu.

Ad ortum fenestræ duæ: quarum qualibet sex ta-  
bulis constet justæ magnitudinis.

Versus meridiem decem fenestræ:

Versus Septentrionem decem: qualibet harum 6 ih-  
dem tabulis exstructa.

Parimentum intestinum & imum Bibliothecæ in hac me-  
dia contignatione, potest ex quercuo ligno uno pede quatra-  
tum construi: quod pene in arce Warsoviensi visitur.

Id enim præterquam quod elegantia servit, minus expositum  
est injuriæ, quæ à cane vetustate & pulveribus è metue-  
nda

halb Goltzov

Supremum tabulatum construi potest ex menis trabibus,  
longo ligno ad regulam in longitudinem secto, invicem junctis.

Ornamenta picturæ in hoc tabulato fieri possunt, vel  
topiano opere, vel alio quocumq; modo qui arriserit:

mibi



mibi symbolica vel historica vel similia præ ceteris probantur: ut quæ eruditæ oculis plus voluptatis, & Bibliothecæ plus dignitatis afferant.

## Ad CAP. II

In illustri Bibliotheca, ad januam parietem in ipso ingressu repositoria, ut vocant, tripartita sint.

Medium supra januam latitudine 5 pedum, quod Classi primæ destinatum sit: cetera vide in Thorun. Biblio.

Reliquorum duorum alterum à dextris, latitudine 12 ped. sesquipedali profunditate, secundam classem efficiat.

Alterum à sinistris, ejusdem quantitatis cum dextro, tertiam classem representet. cetera in Bibl. Thorun.

Intermedia ampla sunt & duplicata novem Repositoria: qualia in Thor. Bibl. quinque descripta sunt.

Siquis autem plura receptacula, vel Historicis vel Theologis assignanda censeat, per me licebit: modo hoc observet, totum etiam ædificium ratione augmenti longius esse edificandum.

Differant tamen à Thorun., quod medium spatium transitus, 8 pedes latum, 10 p. altum,  $2\frac{1}{2}$  profundum.

Recept.



Receptacula ista tota sint 13 pedes alta, usq; ad coronā  
Versibus aut sententiis convenientibus exornandam.

Eorum intervalla aut foruli ab imo ad summum trās-  
itum (de quo jam diximus) ex utraq; parte XI pedū  
latitudinem contineant.

Notandum: in Thor. Bibli., classis quinta, propter  
scimia, ab aliis classibus sua dimensione nonnihil differt:  
in ista omnia 9 Repositoria paria sunt.

Hec 9 receptacula intermedia consistunt 36 classib.  
Præterea notandum, quod in illustri Bibliotheca unum in-  
tervallum, 2 pedum altitudine, in singulis classibus (Præ-  
ter ea quæ in Thor. Bibl. continentur) sit addendum,  
pp elevationem ante dictam: Cetera intervalla nume-  
ro suo conveniant cum Thor. Bibl.; hoc uno intervallo  
adjecto in singulis classibus intermediis.

Penultimū & ultimū Receptaculū Thorumiense, in hac  
Bibliotheca mittendum: in locum horum Bina mensæ  
oblongæ ad utramq; fenestram orientalem locandæ.

Spacia inter receptacula tot sint, quot fenestæ  
laterales, nempe 10, 13½ pedibus invicem distantia:  
ultimo versus orientem excepto, quod 14 pedib. gset.



Pars dimidia receptaculo hinc inde 11. ped. lata.

Transitus latitudine 8 ped. : de quo supra.

Versus septentrionē tantum una fenestra istud in hac illustri non spectetur : quia ubiq; pares fenestæ.

Sequitur de Sciniis Scimia illa majora in hac

illustri Bibliotheca suas classes certas occupent in

suis disciplinis.

Satis profunde Globis Ma-

thematicis excipiendis, q̄ profunditatem majorem requirant.

Scimia seu mensa comparentur

idoneæ & in spaciis vacuis intra Repositoria collocentur.

In intermediis quinq; In singulis facultatib;

unum, quā libet quantitate, vel parvum vel magnum classibus non incomode interseri potest :

in quo res majonis precii custodiantur.

Mensa Singulis spaciis singula mensa; sed ad orientem binæ : una longiuscula nigra; altera quadrata viridi colore imbuta.

Scale in primo

spacio 11. pedū, in relijs spacijs 10 p. altitudine.

Seditia



29

Sedilia, scamna, atramentaria, setacea seu scopula,  
presto sint.

Ad CAP. III.

25 Classibus, Illustris Bibliotheca 39 Classibus  
constet.

Classium tituli in Illustri Bibliotheca  
sunt tales.

---

II class.	I class.	III cl.
Grammatici	De Bibliotheca digerenda	Dialectici
Lexicographi	7 De literaria institutio.	
Phraseologi		

---

V class.	IV cl.
Rhetores	Rhetores
Oratores	Oratores

VI cl.	VII
Poetae	Philosophi
	Philologi
	Metaphysici

---



IX clas.  
Instrumenta Mathematica  
& Mechanica

II X  
Mathematici  
Mechanici.

X  
Physici.

XI  
Sceleta

XIII  
Medici

XII  
Medici

XIV  
Medici

XV  
Medici

---

XVII  
Ethici  
Oeconomici

XVI  
Politici

XVIII  
Chronologi  
Historici.

XIX  
Historici

---

XXI  
Historici

XX  
Historici

XXII  
Iureconsulti

XXIII  
Iureconsulti

---



XXV  
Iure Consulti

XXVI  
Iureconsulti

XXIV  
I C<sup>h</sup>

XXVII  
I C<sup>h</sup>

---

XXIX  
I C<sup>h</sup> Pontificii

XXX  
Scholastici &  
Pontificii Theologi

XXIIIX  
I C<sup>h</sup> Pontificii

XXXI  
Scholastici &  
Pontificii Theologi

---

XXXIII  
Varie religionis  
Theologi

XXXIV  
Theologi

XXXII  
Varie religionis  
Theologi

XXXV  
Theologi

---

XXXVII  
Theologi

XXXIII

Patres

XXXVI  
Theologi

XXXIX

Biblia sacra

---



Ad CAP. IV.

Versus & Carmina sive dicta, tam in corona Recepta, colorum, quam in pariete; quilibet suo eligat conficiatq; arbitrio.

Ad CAP. V.

Iones & picturas pariter sibi quisq; statuatur pro libitu: Patronos interim non negligat. Tabulis etiam supra Instrumenta Mathematica nec non in pariete, locum statuatur.

Ad CAP. VI.

Supellex & copia Bibliothecae in liberalitate & munificentia patronorum imprimis est fundata. Deinde in indefesso studio Bibliothecariorum; & prudentia eisdem in defectu adhibendo

Ad CAP. VII.

De primo indice, ejusq; capitibus nonnulla notanda restant alio tempore.

Item



30

Item de tertio indice, n. 5. 6. Scrima aliter hic locanda.  
Item n. 9. Index iste aliter partiendus.

Nota. Parietes aedificii neq; in longitudine neq; in latitudine  
dimensionis sunt comprehensi.

Item: quae vulgò *Repositoria* dicuntur; hic plerumq;  
*Receptacula*.

*Foruli & Intervalla*, idem.

*Spacium*, quicquid interjectum est loci inter duo *Re-*  
*positoria*.

*Repositoria* *Classibus*; *Classes* *intervallis* aut *forulis*  
*distingui*mo.

Cetera vel praesens vel postera corriget aetas.



Appendix  
DE PRÆCIPUIS AUTORIBUS:  
quorum monumenta de Bibli-  
othecis existant.

1. Biblioth



- 1 Bibliothecæ Conradi Gesneri, tomi duo.  
Nota: in 2. tomo liber 20, de Medicis non est ab au-  
tore editus: qui 21. librum antecedere debebat.
- 2 Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ; primum per  
Lycosthenem, demum per Simlerum, ultimo per  
Joan. Jacobum Frisium Aº 83  
Eadem copiosior cum Nomenclatore promitti-  
tur, disposita libris 21. Vide in ultima Epito-  
mè, sub nomine Joan. Jacobo Frisio.
- 3 Joan. Jacobi Frisii Bibliotheca Philosophorum Chronolo-  
gica. Eiusdem Bibliotheca Patrum minor,  
sive enumeratio Patrum & Ecclesie Doctorum, usq;  
ad tempora Scholasticorum, ad annum 1140, Ti-  
guri Aº 1592. in 4º
- 4 Idem Frisius in præfatione illius libelli, meminit ejus-  
dem argumenti Tabule Guil. Motelii Tiletani, Aº  
47. Parisiis editæ: & Hieronymi Wolfii scholiorum  
atq; annotationum in eadem. Item Suffredi Petri Leo-  
nardensis libri, de Illustribus Ecclesie Scriptoribus, Colo-  
nia in 8º chartis 30 impressi.
- 5 Idem ibidem fol. 53 sic scribit:



Vide Bibliothecas, Cum Alphabeticas Conradi Gesneri,  
Josiae Simleri, Antonii Verdeni, Antonii Francisci  
Donii Florentini, Francisci de Cruce Cenomana, Ange-  
li Rachen., Antonii Senen., Sixti Senen., Joan-  
nis Maria Tuscani, Joan. Fererü Pedemontani,  
Zanachii, & ceterorum: Tum methodicas,  
in jure Joannis Wolfgangi Freymonii, in Medicina  
D. Casparis Wolfii, in omni Philosophia Historia  
& Theologia Joannis Jacobi Frisii Tigurini.

6 Idem ibidem fol. 88.

Finit enumeratio Patrum secundum senem temporü  
quo floruerunt. hos precedunt Patriarchæ, Pro-  
pheta & Apostoli. eosdem patres sequuntur Scho-  
lastici & recentiores Theologi. de quibus omnibus  
Ecclie Dei Luminibus exstat Bibliotheca major  
sive Nomenclator Theologicus, secundum eandem  
temporis senem ab origine Mundi usq; ad presentem an-  
num Dni 1592 conscriptus, & historiarum doctrinæ



- 33
- Ecclesiae Dei brevissimis illustratus, ab eodem hujus  
opusculi autore Joa. Jac. Fris. Tig.
- 7 Josias Simlerus & Jo. Jac. Fris. in tertia praefatione  
Epitomes Bibl., multos recensent autores hujus ar-  
gumenti.
- 8 Supplementum Epitomes Bibliothecae Gesnerianae,  
Antonio Werdeno collectore, Lugd. apud Bartho-  
lom. Honorati A° 1585.
- 9 Vide Gesneri Bibliothecam, lib. 1. tit. 1. parte 14.  
Idem ibidem lib. 1. tit. 13., praesertim parte 2 &  
parte 7.
- 10 Roberti Constantini Nomenclator insignium scri-  
ptor, quorum libri extant, vel manuscripti vel  
impressi: indexq; totius Bibliothecae atq; Pandectar  
Gesneri, impressus Parisiis apud Wechelium. A°  
1555 in 8°
- 11 Indices Francofurtenses Willeniam tribus tomis ex-  
cusi sunt, ab anno 64 usq; ad 92.
- 12 Joan. Thomas Freigius in scholiis ad Dialogos Joan.  
Lud. Vivis, in Dialogo SCHOLA, in verbo Papa;



ita scribit: Vide Coelum Secundū, in libris de Gramma-  
tico, ubi Bibliothecam erudite' digerere docet.

13 Franciscus Manius Grapaldus lib. 2 cap. 9 de partib.  
aedium, scripsit de Bibliotheca, & quicquid ad eam  
pertinet; Basilea ap. Waldenū A° 1533 & 1541.





Icones  
Viro rum illustri um  
descripserunt:

Nicolaus Reusnerus

Theodorus Beza

Paullo Jovius

Insignium viro rum Icones impressae Lugduni ap.  
Joan. Torneium A° 1559

Henricus Pantaleon grande opus edidit in ea  
re; verum magna ex parte suspectum.





*[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*

















































ROTANOX  
oczyszczanie  
VIII 2009







Wojewódzka Biblioteka Publiczna

Elbląg

Rkps 23

